

prorum reclamantium viscera cruentatis ori-
bus dissipant. »

Ait amplius Maimonides omnia hæc præ-
cepta, præter ultimum, imposita fuisse
Adamo, ultimum vero impositum Noe. A
quibusdam rabbinis hæc præterea superad-
duntur, nempe: *Interdictio sanguinem ex-
trahendi ex animali vivo, ut hauriatur; in-
terdictio magiæ et sortilegii; interdictio co-
pulandi animalia alterius inter se speciei, et
arbores inserendi: interdictio mutilandi ani-
malia.*

« Hæc utique, inquit Calmet, inveniuntur
in his scriptoribus; attamen de eorum ve-
tustate maxime est ambigendum, cum a
scriptura, ab Onkelo (qui famosus rabbinus
primæ seculo reparatæ salutis exstitit) a Jo-
sepho, a Philone, et ab ullo ex veteribus Pa-
tribus nulla mentio fiat. » (Diction. Bibl.,
v. *Noachidæ.*)

Et in comment. in Genes., ad cap. ix, v. 9,
sic idem Calmet: « Nihil ea de re in Scriptura,
a veteribus Judæorum et Christianorum

JUS, JUSTITIA.

SUMMARIUM.

1. Juris vocabulum unde sit dictum, et quo-
modo hoc loco accipiatur, ad num. 3. — 4. Juris
multiplex divisio ac subdivisio, ad num. 22. —
5. Corpus juris canonici in quot et quas partes
dividatur, ad n. 34. — 35. Quinam sit juris
civilis et canonici promiscuus usus in utroque
foro, ad n. 41. — 42. Quid sit agendum in jurium
discordantia sive contrarietate, ad n. 43. — 44.
Jus, prout est objectum justitiæ, quid sit, et quem-
admodum dividatur, ad n. 48. — 49. Justitia

(1. Jus derivatur a verbo *justo*, textu ex-
presso in cap. *Jus generale* 1, dist. 1, ibi:
« Jus autem est dictum, quia justum est, »
et in l. 1, ff. De justitia et jure, ibi: « Jus a
justitia appellatum est; nam jus est ars boni
et æqui. » (2. Nec in re discrepat in cap.
Jus dictum est 12, De verbor. significat., ubi
dicitur: « Jus dictum est a jure possidendi,
hoc enim jure possidetur, quod juste; »
quia ibi, ut recte notant Abbas in d. cap.
Jus dictum, Reiffenstuel lib. 1 Decretal., § 1,
procemii num. 3, et alibi, ponitur Etymologia
juris, non prout jus est nomen generale, sed
prout applicatur ad rem certam, dicendo
verbi gratia: « Habeo jus in tali re. »

(3. Relictis variis aliis juris acceptioni-
bus, hic jus potissimum accipitur pro lege,
quæ est regula justitiæ seu justitiae in genere.
Cum enim legibus non nisi id quod justum
est sive debitum inter cives vel erga rem-
publicam statuatur, hinc usu receptum est
ut ipsæ leges tum divinæ tum humanæ jura
appellarentur; et in hac significatione acci-
pitur jus in cit. cap. *Jus generale* 2, dist. 1,
ubi dicitur: « Jus generale nomen est, lex
autem juris est species. » (4. Unde jus pro
lege acceptum dividitur primo in jus natu-
rale et jus positivum; jus naturale (quod alio
nomine nuncupatur *Lex naturalis*) est illud
cujus obligatio non ex libera alicujus præci-
pientis legislatoris voluntate, sed ex ipsa
rei præceptæ vel prohibitiæ natura oritur,
verbi gratia: *Quod tibi vis fieri, alteri fece-*

auctoribus, nihil in Josepho et Philone.
*Suspicionem etiam, de illorum vetustate pro-
moveret rabbinorum dissensio quoad numerum
illorum; sicut etiam in dubium revocantur
ex redacta a rabbinis in angustiores limites
eorum significatione, atque imposita lege
proselytis domicilii ea observandi. »*

« Judæorum alii docent, prosequitur Cal-
met, Deum constituisse Noe ejusque poste-
ris septem præcepta expressa Genesis cap. ix;
1. Connubium: *Crescite, et multiplicamini.* 2.
Jus coercendi animalia: *Terror vester ac
tremor sit super cuncta animalia terræ.* 3.
Facultas adhibendi in cibum carnes: *Omne
quod movetur et vivit, erit vobis in cibum.*
4. Abstinencia a sanguine: *Carnem cum san-
guine non comedetis.* 5. Homicidium inter-
dictum: *Sanguinem animarum vestrarum
requiram de manu hominis.* 6. Jus plectendi
homicidas: *Quicumque effuderit humanum
sanguinem, fundetur sanguis illius.* 7. Tau-
dem, nempe: *Ingreimini super terram,
et implete eam.* » (Ibidem.)

quid sit, et quomodo communissime dividatur, ad
n. 53. — 54. Quenam justitiæ ratio intercedat in-
ter Deum et hominem, patrem et filium, mari-
tum et uxorem, dominum et servum, ad n. 56.
— 57. Justitia præmiativa, et punitiva seu vindi-
cativa, ad quam justitiæ speciem reducat. —
58. An unquam adversus jus divinum præscriba-
tur, et in quibus detur præscriptio adversus jus
humanum. — 59. Alia ad rem remissive. Subne-
ctuntur Additiones Casinenses.

ris, et quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris,
et hujusmodi: « Est in re communis, » et
colligitur ex cap. *Jus naturale* 7, dist. 2, ubi
dicitur: « Jus naturale est commune om-
nium nationum, eo quod ubique jure na-
turæ, non constitutione aliqua habetur. » Et
clarissime insinuat ad Romanos cap. 2, ibi:
*Gentes quæ legem non habent (id est scriptam)
naturaliter ea quæ legis sunt faciunt; ejus-
modi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex,
qui ostendunt opus legis scriptum in cordi-
bus suis; testimonium reddente illis conscien-
tia ipsorum.* (5. Et jam indicaverat regius
Psalmes *Psalm.* 4, ibi: *Signatum est super
nos lumen vultus tui, Domine.* Jus positivum
est illud quod non ex rei natura, sed ex li-
bera Dei vel hominis voluntate pendet et
vim obtinet; et dicitur *positivum*, quia a
superiore, non ex quadam necessitate atque
intrinsicæ exigentia objecti, sed libere et
contingenter ponitur. Est in re communis.

(6. Jus positivum dividitur in jus positi-
vum divinum, et positivum humanum. Jus
positivum divinum est quod a Deo supremo
legislatore, de iis quæ ad jus naturale non
spectant, in tempore latum, et hominibus
positum fuit. Notanter autem dicitur de iis
quæ ad jus naturale non spectant, ut ab isto
jure divino positivo excludatur jus naturale,
quod certo respectu et ratione etiam divi-
num appellatur, quatenus a Deo tanquam
auctore naturæ mentibus humanis est indi-
tum. Jus positivum humanum est illud

quod ab auctoritate humana aliquid præci-
piente vel prohibente procedit.

(7. Jus positivum divinum subdividitur in
vetus, et novum. Vetus est, quod Deus in
Veteri Testamento tulit, et triplicis generis
præcepta continebat, scilicet moralia, cære-
monialia, et judicialia. Jus positivum divi-
num novum est quod Christus Dominus ve-
rus Deus et homo in Novo Testamento con-
didit et observari mandavit, et continet
præcepta fidei, spei, charitatis et sacramen-
torum.

(8. Jus positivum humanum subdividitur
in jus gentium, civile et canonicum.

(9. Jus gentium est illud quod omnes
gentes vel ferme omnes utuntur, l. 1, § Jus
gentium, de justitia et jure, juncta leg. Om-
nes, ff. eod. ubi dicitur: « quod naturalis
ratio inter omnes homines constituit, id
apud omnes peræque custoditur, vocaturque
jus gentium, quasi quo jure omnes homines
utuntur. »

(10. Jus autem gentium duplex solet
a juristis assignari, scilicet jus gentium pri-
mariū, et secundariū. Jus gentium pri-
mariū est illud quod naturalis ratio
omnibus gentibus dicit, quodque mentibus
hominum a Deo naturaliter inditum est, et
ab omnibus populis solo naturali instinctu
rationis custoditur, et sic coincidit cum jure
naturali; § Jus autem, Instit. de jure nat.
gent. et civil. et l. Omnes 9, ff. de justitia et
jure cum similibus. Jus gentium secunda-
riū est illud quod ex naturali quadam
ratione proficiscitur, at non simpliciter et
ab initio solo rationis instinctu nobis est
inditum, sed necessitate humani commercii
postea, sic exigente usu ac moribus om-
nium aut fere omnium gentium, est intro-
ductum, sive per modum legis præceptivæ
aut prohibitiæ, sive solum per modum po-
testatis seu facultatis permissivæ, quidpiam
agendi quod usu seu consuetudine om-
nium vel pene omnium gentium præcipitur,
prohibetur, aut conceditur, tanquam neces-
sarium vel utile hominibus inter se socie-
tatem seu commercium foventibus; et de
hoc jure gentium secundario est sermo in
l. *Ex hoc jure*, ff. De justitia et jure, et §
Jus autem gentium, instit. eod. tit. et affe-
runtur exempla in c. *Jus gentium* 9, dist. 1,
præcisus his verbis: « Jus gentium est se-
dium occupatio, ædificatio, munitio, bella,
captivitates, servitutes, postliminia, fœdera,
paces, induciæ, legatorum non violandorum
religio, conjugia inter alienigenas prohi-
bita; hoc inde jus gentium appellatur, quia
eo jure omnes fere gentes utuntur. »

(11. Jus civile est quod auctoritate prin-
cipis sive magistratus sæcularis est condi-
tum ad reipublicæ gubernationem, et tem-
poralem pacem, et salutem civium conser-
vandam; Est in re communis per textum in
c. *Jus civil.*, 8, dist. 1, ubi sic præcise
dicitur: « Jus civile est quod quisque po-
pulus vel quæque civitas sibi proprium di-
vina humaneque causa constituit. » (12. Jus
civile dividitur primo in jus scriptum, et
non scriptum, c. *Jus generale* 2, c. *Lex* 2,

c. *Mox* 4, cap. *Consuetudo* 5, dist. 1, et §
Constat autem, Instit. de jure natur. gent.
et civil. Jus civile scriptum est quod ex-
presso consensu principis seu magistratus
legis condendæ potestatem habentis con-
stitutum est. Jus autem civile non scriptum
est jus consuetudinarium, sive illud quod
diuturnis moribus, tacito utentium consensu
comprobatis, introducit. Communis, arg.
cit. Juribus.

(13. Jus civile dividitur secundo in jus
commune, et particulare seu municipale.
Jus civile commune est illud quod est com-
mune omnibus provinciis et incolis Roma-
no imperio subjectis, illosque omnes obli-
gat. Jus autem civile particulare seu muni-
cipale est illud quod non ligat omnes
subditos imperii Romani, sed solum subdi-
tos loci vel territorii pro quibus hoc jus
conditum est. Communis.

(14. Totum jus commune civile seu Cæsa-
reum dividitur in tres præcipue partes,
scilicet in Digestum, Institutiones et Codi-
cem. *Digestum*, quod alio nomine appellatur
Pandecta seu libri *Pandectarum*, continet
in se quinquaginta libros, qui omnes dividi
solent in tres tomos. Primus vocatur *Diges-
tum vetus*, quia prius editum est, et conti-
net priores viginti quatuor libros. Secundus
vocatur *Infortiatum*, quia fortiorem ac ple-
niorem legum cognitionem suppeditat, et
continet sequentes quatuordecim libros us-
que ad trigesimum octavum inclusive. Ter-
tius vocatur *Digestum novum*, quia postre-
mo editum est, et continet reliquos duode-
cim libros. *Institutiones imperiales*, seu
Justiniani imperatoris, dividuntur in qua-
tuor libros, et sunt quoddam juris com-
pendium. *Codex Justiniani* continet duode-
cim libros, quorum tres ultimi tractantes
de jure publico non solent explicari in
omnibus scholis. Istis tribus juris civilis
partibus sunt adjectæ postremo *Novella con-
stitutiones* Justiniani et Leonis Imperato-
rum, et alio nomine dicuntur *Authenticæ*,
et constant novem authenticis collationibus,
quibus recens decima adjecta est; insuper
adjectæ sunt *Consuetudines Feudorum* seu
duo *Libri Feudorum*, et aliæ quædam
constitutiones imperiales.

(15. Jus canonicum derivatur a verbo
Græco *νόμος* quod Latine significat, *regula*;
c. *Canon* 1, dist. 3. (16, 17. Regula autem ec-
clesiastica est dicta, eo quod recte ducit,
nec aliquando aliorum trahit quam ad rec-
titudinem, vel quod regat, vel quod normam
recte vivendi præbeat, vel distortum pra-
vumque corrigat, c. *Regula* 2, dist. 3. Unde
jus canonicum recte definitur, quod sit jus
positivum ex sacris canonibus seu regulis
ecclesiasticis collatum, et ad recte viven-
dum, æternamque salutem consequendam,
et justitiam in populo Christiano conservan-
dam a summis pontificibus Ecclesiæ catholi-
cæ traditum, constitutum vel approbatum.
Qua in re communis. (18. Jus canonicum
vocatur etiam alio nomine *Jus ecclesiasticum*,
quia materia in ipso contenta est eccle-
siastica, et agit potissimum de personis et

rebus ecclesiasticis. Item vocatur etiam *jus pontificium*, quia a summis pontificibus fuit institutum et approbatum. Item vocatur *jus divinum* large sumendo jus divinum, sive quia instinctu et gratia sancti Spiritus canones editi sunt, ut dicitur in c. *Violatores* 5, caus. 25, q. 1, sive quia canones sunt veluti conclusiones deductae ex principiis juris seu legis divinae, c. *Qualiter* 24, de accus., et quaedam ex sacris litteris excerpta continent, sive denique quia summus pontifex potestatem condendi leges ab ipso Christo, veluti ipsius vicarius, et Petri successor accepit, ut desumitur ex cap. *Translato* 3, De constitutionibus.

(19. Jus canonicum dividitur primo ad instar juris civilis in scriptum, et non scriptum, textu expresso, in c. *Jus generale* 2, dist. 1, et in cap. *Ecclesiasticarum* 5, dist. 11. (20. Jus canonicum scriptum desumptum est partim ex jure divino, et sacra Scriptura Veteris et Novi Testamenti, partim ex decretis conciliorum auctoritate pontificia confirmatorum, partim ex diversis rescriptis et constitutionibus summorum pontificum, partim ex placitis seu legibus principum saecularium, et partim ex sententiis sanctorum Patrum. (21. Jus canonicum autem non scriptum continet traditiones et laudabiles consuetudines ecclesiasticas. Communis, et clare patet ex cap. *Ecclesiasticarum* 5, cap. *Consuetudinem* 6, c. *In his rebus* 7, c. *Catholica* 8, c. *Palam est* 9, c. *Hoc vestrae* 10, et c. *Quis nesciat?* 11, dist. 11, cap. *Præceptis Apostolicis* 2, cap. *Sit Sancta* 3, cap. *Illud breviter* 4, cap. *Ridiculum* 5, cap. *Diuturni mores* 6, c. *Consuetudo* 7, c. *Nos consuetudinem* 8, cap. *Quemadmodum* 9, cap. *Novit* 10, cap. *Illam autem* 11, et c. *Omnia talia* 12, dist. 12.

(22. Jus canonicum dividitur secundo in jus commune, et jus speciale. Jus canonicum commune est illud quod pro universa Ecclesia latum est, et omnes fideles obligat. Jus canonicum speciale est illud quod solum pro certo loco, provincia, diocesi vel communitate latum fuit, et extra fines ipsius non obligat, ut sunt diversae constitutiones synodales diocesum aut provinciarum. Communis.

(23. Corpus juris canonici universim, de quo hic auctor, præcesserunt plurimae cum apud Græcos tum apud Latinos canonum collectiones, cum primis Dionysiana a Dionysio Exiguo compacta. De hisce collectionibus plures disseruerunt, ut de Marca, et P. Constantius; sed omnibus palmam eripuerunt Patres Ballerini in amplissimo de antiquis canonum collectionibus et collectoribus tractatu, quem tomo III operum S. Leonis M. præmiserunt. Cum hoc tamen non inutile erit conferre Benedictinum Zallwein t. II Principior. jur. eccl., q. 1, c. 3, et seqq., Et dividitur in sex partes, scilicet: prima, in Decretum Gratiani; secunda, in Decretales Bonifacii VIII; quarta, in Decretales Clementis V; quinta in Decreta-

les Joannis XXII; sexta, in Decretales veteriorum pontificum.

(24. Prima igitur pars juris canonici est Decretum Gratiani, quod a suo auctore Gratiano, religioso Ordinis Sancti Benedicti, nomen traxit, qui anno circiter 1150, tempore Eugenii III, hoc opus ex diversis sacrae Scripturae sententiis, summorum pontificum et conciliorum decretis, sanctorum Patrum scriptis, imperatorum etiam legibus et sanctionibus compilavit, ac concordiam discordantium canonum appellavit, et multa de suo adjecit. Hoc Gratiani Decretum componitur ex tribus partibus. Prima pars continet centum et unam distinctiones, in quibus per capita seu canones agitur de jure divino et humano, et de personis ecclesiasticis. Et textus in hac prima Decreti parte contenti citantur ponendo numerum distinctionis, et initium capituli seu canonis, v. g. dist. 1, c. *Jus generale*, ubi legendum est, Ut habetur dist. 1, cap. seu canone qui incipit, *Jus generale*. Secunda pars continet causas 36, in quibus tractatur de negotiis clericorum et laicorum, et earum ferme quaelibet plures continet quæstiones; et quaelibet quæstio plures canones seu capita. Et textus in hac secunda parte contenti citantur hoc modo, cap. *Nullius crimen* 1, quæst. 4, lege, capite, seu canone, qui incipit *Nullius crimen*, causa prima, quæstione quarta: et, ut facilius textus reperiantur, solet a multis præponi ad caput seu canonem proprius numerus in ordine, scribendo v. g. *Nullius crimen* 1, causa 1, q. 4. Inseritur autem causæ trigesimæ tertiæ, de matrimonio agenti, tractatus de poenitentia in quæstione tertia, quæ dividitur in septem distinctiones subdivisas per capita seu canones. Et textus in hoc tractatu citantur sic, v. g. cap. seu can. *Petrus doluit*, De Poenit., dist. 1, lege: ut habetur De Poenit., dist. 1, c. seu can. qui incipit, *Petrus doluit*. Tertia tandem Decreti pars, quæ agit de consecratione ecclesiarum, celebratione missarum, de sacramentis baptismi, confirmationis, eucharistiæ, etc., continet quinque distinctiones, quarum quaelibet complectitur varia capita seu canones. Et textus in hac tertia parte contenti citantur hoc modo, capit. vel canon. *Omnes basilicæ* De consecr., dist. 1; lege: capite vel canone *Omnes basilicæ*, De consecratione., dist. 1. Vel citantur sic, De consecr., dist. 1. *Omnes Basilicæ*, lege: De consecratione, dist. 1, cap. seu can. qui incipit, *Omnes Basilicæ*. His adjungi solent quadraginta septem canones poenitentiales, qui sic citantur: *Canon Poenitent.* 1, vel 2, vel 3, vel 4. Item octoginta quatuor canones, quos *Apostolicos* vocant, dicunturque collecti per sanctum Clementem papam, et sic citantur: Canon. apostol. 1, vel 2, vel 3, vel 4, sicuti est proprius numerus in ordine.

(25. Quamvis necdum sufficienter constet quod Decreto Gratiani universim fuerit attributa auctoritas legis canonice totum mundum obligantis (Consulendus de hujus Decreti auctoritate idem Zallwein quæst. 2,

cap. 2, § 5, seqq. et Zaccaria Antifebron., t. XI, p. 414, seqq.), nihilominus propter perfectam emendationem, et hujus emendationis approbationem a Gregorio XIII factam, meretur totalem fidem, quod canones aliaque ibidem contenta cum suis originalibus sine errore aut falsitate respondeant, ut pluribus citatis tradit Barbosa in Collect. DD. ad præmium Decreti, num. 6, et sequent. Pirhing. in Proœmio num. 32. Engel *ibid.*, n. 6. Reiffenstuel *ibid.*, n. 65, et alii passim.* Multum tamen etiamnum desiderari, ut emendatissimum hoc decretum habeamus, inter eruditos constat. Vide Riegerum in luculenta dissertatione De emendatione Gratiani, præsertim vero præclaros Berardi in hoc Decretum commentarios Augustæ Taurinorum editos.* (26. Hinc canones, aliaque contenta in tali Decreto habent eandem auctoritatem quam de se haberent et habent apud proprios auctores seu conditores; nec majorem habent per hoc quod referantur in ipso decreto. Sic doctores supracitati, ac alii fere communiter, et expresse sacra Rota Romana apud Peniam decis. 480, ubi inter alia sic habet: «Nec refert illos canones recenseri in Decreto a Gratiano compilato; quia, cum Gratianus, non publica auctoritate, infinita quæque illa canonum ecclesiasticorum et legum etiam saecularium capitula in suum librum contulerit; nec legis condendæ auctoritatem habuerit, nec ab aliquo Romano pontifice et legalis approbatus fuerit, inde fit quod quilibet canon inibi relatus, ex eo tantum quod ibi referatur, non habeat majorem auctoritatem, quam in primo loco consistens de sui natura esset habiturus. Nec Gregorius XIII Gratiani librum tanquam legalem authenticavit, cum solum emendari jussisset, et emendationes sine additionibus mandaverit observari.»* Rectissime. Interea Gratiano suæ debentur laudes et grates, quippe qui quamplurima antiqua documenta nobis conservavit, quæ facile injuria temporum interciderent, et ea, quæ hac illac dispersa erant, in unum collegit, atque meliori ordine donavit, ut vel ipse Bohemus, introduct. ad novam edit. Corp. jur. canon., § 20, fateri non dubitavit. Quamobrem non sine ingenti calumnia Gratianus inter quatuor Satanice impietatis columnas ponitur apud Gasparem Zieglerum De orig. et increm. juris canon., § 49, ubi quatuor Satanæ apostoli nominantur, Gratianus, Petrus Lombardus, et Sancti Franciscus ac Dominicus.*

(27. Secunda pars juris canonici sunt Decretales jussu Gregorii IX collectæ a sancto Raymundo de Pennafort, ordinis Prædicatorum, circa annum 1234. Istæ Decretales sunt sic dictæ, quia magis ex summorum pontificum constitutionibus et epistolis Decretalibus coalescunt, quam ex conciliorum decretis; decretum autem Gratiani e contra. Dividuntur istæ Decretales in quinque libros, libri in titulos, et tituli in capitula,

et citantur ponendo initium vel numerum capituli, et allegando titulum, v. gr., c. *Canonum statuta*, De constitutionibus; lege capite *Canonum statuta*, tit. De constitutionibus, et ab aliquibus post initium capituli ponitur etiam numerus sui ordinis, ut facilius reperiatur, v. g. cap. *Canonum Statuta* 1, De Constitutionibus; Glossator Decretalium est Bernardus Parmensis. Materiam Decretalium glossa præcæialis memoriæ causa sequentibus versiculis comprehendit:

Pars prior officia parat, Ecclesiæque ministros,
Altera dat testes, et cætera judiciorum;
Tertia de rebus et vita presbyterorum;
Quarta docet quales sint nexu conjugiorum.
Quintaque de vitiis, et poenis tractat eorum.

Et brevius hoc versiculo:

Judex, judicium, clerus, sponsalia, crimen.

* De Gregorii IX collectione plura dabant Doujatius in Prænotionibus Canoniceis, illustrissimus Bartholus in Institutionibus, et Zallwein l. c., cap. 4.*

(28. Tertia pars juris canonici est liber sextus Decretalium, qui post quinque libros Decretalium Gregorii IX, auctoritate Bonifacii VIII compilatus fuit a Guilielmo Ebrundensi, Berengario Biterrensi, et Richardo Senensi, circa annum Christi 1297, qui etiam dividitur in alios quinque libros, qui subdividuntur in titulos juxta ordinem in quinque Decretalium libris observatum (omissis tamen illis titulis circa quos specialis controversia de novo non emergerat), ac tituli in capitula. Citatio in hac parte fit ponendo initium vel numerum capituli, et titulum, ut in quinque libris Decretalium, cum addito in 6, v. g. cap. *Ut super* 4. De appellat., in 6, lege: capite, quod incipit *Ut super*, et est quartum in titulo de appellationibus in libro sexto Decretalium. Glossator hujus libri est Joannes Andreas Bononiensis jurisconsultus.

(29. Quarta pars juris canonici sunt Clementinæ, id est constitutiones, partim editæ a Clemente V, partim ejus jussu collectæ, et post ejus mortem promulgatæ a Joanne XXII circa annum Christi 1317, et dividuntur in quinque libros, libri in titulos, et tituli in capitula. Citatio fit v. gr. *Clement. Causam electionis* 3, De electione, lege: in Clementinis, capite *Causam electionis* 3. De electione. Glossator est dictus Joannes Andreas Bononiensis jurisconsultus.

(30. Quinta pars juris canonici sunt Extravagantes Joannis XXII, id est viginti constitutiones editæ a Joanne XXII, et distributæ in quatuordecim titulos, et dicuntur Extravagantes, quia vagantur per varias materias ultra illas quæ in libris Decretalium habentur, et quia antea extra Corpus juris canonici incerta quasi sede vagabantur, quod nomen adhuc retinent; licet postea in ordinem librorum juris canonice redactæ sint. Citatio fit addito nomine hujus Papæ, v. gr. Extravag. *Prodiens Joannis XXII*, lege,

In extravagante constitutione Joannis XXII, quæ incipit *Prodiens*. Glossator est Zenzelinus de Cassanis.

(31. Sexta pars juris canonici sunt Extravagantes communes, id est constitutiones quæ post priora omnia emanarunt a diversis pontificibus, et dividuntur in quinque libros, libri in titulos, et tituli in capitula, quorum singuli novam et distinctam continent constitutionem vel constitutiones seu extravagantes; vocantur *extravagantes* propter supradictam rationem, et *communes*, quia non ab uno solo pontifice, sicut extravagantes Joann. XXII, sed a pluribus et diversis pontificibus sunt editæ. Citatio fit ponendo initium capituli, et titulum in quo reperitur capitulum, v. gr. Extravagant. *Ad regimen* 13, De præbend.; lege: In extravagante quæ incipit *Ad regimen*, c. 13, De præbend. Glossas addiderunt Joannes Monachus, Guilielmus de Monte Lauduno, et Joannes Franciscus de Pavinis.

(32. Corpori juris canonici in quibusdam recentioribus exemplaribus ad finem reperitur adjectus Liber septimus Decretalium collectus a Petro Matthæo jurisconsulto Lugdunensi, et juxta ordinem titulorum in quinque Decretalium libris contentorum distributus. Ast hic, prout nunc est editus, non est auctoritate publica in Corpus juris canonici receptus, licet habeat constitutiones reipsa obligantes, qualia sunt decreta et canones posteriorum conciliorum usque ad Tridentinum inclusive, et constitutiones multæ variorum summorum pontificum, quæ in ipso reperiuntur*. Plura in hoc libro a scriptoribus notantur et quodammodo carpuntur, præsertim vero quod in Tridentini concilii decretis, quæ Matthæus suæ collectioni inseruit, non indigitarit quid synodus novi statuerit, aut in quibus ab antiquiore jure canonico recesserit. Defectum tamen hunc in maximum legentium commodum supplavit Joannes Doujat, in suis ad Lancelotti Institutiones adnotationibus*.

(33. De alio septimo Decretalium libro memoratu dignam relationem facit Prosper Fagn., lib. II Decret. in c. *Cum venissent* 12, De judiciis, n. 61 et 62, quæ, prout ibi est, hic ad litteram datur; ibi: « Cum Gregorius XIII commisisset prius Flavio Ursino, Franciscus Alciato, et Antonio Carafæ S. R. E. cardinalibus licentiam compilandi septimum librum Decretalium, multaque ipse manu sua exarasset ac monuisset, sed e vivis ereptus inchoatum opus dimisisset, Sixtus V ejus successor eam curam imposuit Dominico cardinali Pinello anno 1587., eique collegas adjunxit cardinales Aldobrandinum, Mattheium, Columnam. Ex quibus, cardinali Aldobrandino post obitum Sixti ad pontificatum assumpto, et creatis cardinalibus ex prælatis ipsius Congregationis Lucio Saxo, Laurentio Blanchetto, et Pompeio Arrigonio; extremo anno 1593, factus est finis ea undequaque seligendi et recognoscendi quæ inserendi in canonum corpus essent. Magnopere autem hæsitatum est num in extrema hac compilatione inseri deberent

œcumenicorum concil. Florent. ac Trid. canones etiam ad dogmata pertinentes; et tandem optimis rationibus in eam itum est sententiam ut insererentur, licet Collectiones tam Greg. IX, Bonifacii VIII, et Clementis V, quam in antiquioribus Isidori, Burchardi, Anselmi, Photii, et aliorum paucissimis dogmatibus sint respersæ. Itaque volumen pontificia jura, et conciliorum decreta trecentorum prope annorum in quinque libros disposita, suis propriis distributa titulis, compendiarie quadam summa complectens, extremam manum accepit die 25 Julii anno 1598. Sed cum typis jam excusum sub nomine septimi libri Decretalium Clementis VIII prope diem esset publicandum, gravis emersit difficultas, quod, cum decreta fere omnia concil. Trident. in eo inserta jam in Corpus juris canonici redacta essent, negandum non erat quin jurisperitis liceret eis applicare glossas et commentarios; ita enim in præcedentibus compilationibus factum videmus: nam, ut missas faciamus veteres Græcorum collectiones, quibus suas addiderunt interpretationes non modo Alexius, Aristenus, Joannes Zonaras, et Theodorus Balsamon, verum etiam Joannes Scholasticus, et Photius ambo Constantinopolitani antistites, et Matthæus Bastenus monachus, Constantinusque Harmenopolus, atque Arsenius; apud Latinos prima decretalium compilatio, quam tempore Alexandri III ex decretis antiquorum conciliorum et summorum Pontificum constitutionibus a Gratiano omissis, fecit Bernardus præpositus Papiensis, mox Faventinus episcopus, et Breviarum Extravagantium inscripsit, licet privato ejus nomine edita fuerit, glossatores tamen habuit Vincentium, Alanum, Tancredum, Laurentium et Rogerium. Similiter ad secundam privatam compilationem Gilberti et Alani, quam suo nomine edidit Joannes Gallensis eorum discipulus, glossata fecerunt idem Joannes, Hugo Ferrariensis episcopus, et Bernardus major Compostellanus. Quemadmodum, et ad tertiam, quæ a Bernardo archidiacono Compostellano propria auctoritate Romæ confecta, et ideo Romana appellata, ac deinde omnium prima liber Decretalium conscripta fuit, glossas fecerunt idem Vincentius, Alanus, Rogerius, Jacobus, et omnium copiosissime Tancredus, ut constat ex vetusto codice antiquarum compilationum ab Anagnia civitate in bibliothecam Vaticanam delato, licet Joann. Andr. putaverit glossas ad hanc compilationem composuisse Paulum Hungarum. Quartæ itidem compilationi, cui addita fuerunt capita septuaginta et unum generalis concilii Lateranensis paulo ante celebrati, glossæ fuerunt applicatæ, licet de auctoribus variæ sint opiniones; alii enim illas tribuunt Joanni, alii Roberto, sive Rogerio. Et prætermissa quinta, quam idem Tancredus compaginavit ex constitutionibus Honorii III, ad sextam itidem compilationem, quam Gregorius IX ex quinque compilationibus præcedentibus in quinque libris Decretalium disposuit, opera scilicet Raymundi tunc ejus

capellani et pœnitentiarii, mox tertii ordinis Prædicatorum magistri generalis, glossas edidit Bernardus de Boto Parmensis, et canonicus Bononiæ. Sed et ad sextum librum Decretalium Bonif. VIII, quæ septima fuit compilatio, Jo. Andr. Bononiensis applicuit glossas, quæ in hoc prævaluerunt glossis Joann. Monachi cardinalis (fuerunt enim concurrentes, ut idemmet Jo. Andr. testatur in præfatione ejus libri). Ac demum ad compilationem Clementinarum Clementis V, a Joanne XXII publicatam, glossas confecit idem Joan. Andr., et ad Extravagantes; quæ una cum Decretalibus Gregorii IX, Sexto, Clementinis, Corpus juris canonici constituunt, ut declaravit Gregorius XIII in constitutione quæ incipit: *Cum pro munere*, Zenzelinus de Cassanis, et Guilielmus de Monte Lauduno glossas applicaverunt, et apostillas Joannes Franciscus de Pavinis Rotæ auditor. Itidem veterum canonum expositores, Ruffinum, Silvestrum, Jo. Hispanum, Joannem Faventinum, Goffredum, Melendum, Bartholomæum Brixien., Joannem de Deo, et alios quamplures recenset Guilielmus Durand. in præf. Spec., n. 14, et ibi fusius Jo. Andr. in add. inc. B. Parm. lit. M. Quod igitur ad veteres canonum collectiones factum est, nulla ratio suadebat cur non idem esset permittendum ad extremam hanc compilationem septimi libri Decretalium. Id vero ex diametro adversabatur constitutioni Pii IV, prohibentis ne super decretis concilii Tridentini edantur glossæ et commentarii, ullumque omnino interpretationis genus. Tanti autem hujusmodi prohibitio habita fuit, ut hanc unam ob causam substituterit hujus voluminis publicatio miris elucubrata laboribus ac vigiliis, et præsulum, gymnasiolorum, totiusque Ecclesiæ vocibus efflagitata; ita ut propterea nullus restet dubitandi locus quin constitutio Pii IV interdicat etiam probabilem glossatorum interpretationem. Hactenus Fagnanus.»

(34. Extra corpus juris plures alii libri sanctiones habentes exstant, scilicet: « Concilia generalia et provincialia a summis pontificibus approbata, Bullarium, Regulæ cancellariæ, Declarationes cardinalium, et Decisiones Rotæ Romanæ. » De Conciliis, vide verb. *Concilium*. De Bullario stat certum quod bullæ seu constitutiones pontificiæ in ipso contentæ, si probantur authenticæ et originali suo conformes, habeant vim obligandi, secus non, uti recte Plettenberg, in Introductione ad jus canonicum c. 19, advertit, et alii passim. De Regulis cancellariæ, vide verb. *Cancellaria*. De Declarationibus cardinalium, vide verb. *Declarationes cardinalium*. De Decisionibus Rotæ Romanæ est certum quod, licet istæ faciant jus inter partes ipsas litigantes, non tamen faciunt jus universale, ut docet Franciscus de Pavinis in Præluo Extravagantium Joann. XXII, et communis aliorum; vide verb. *Auditores Rotæ*.

(35, 36. Canones et leges mixtim allegantur in utroque foro, quando sibi non contradicunt; colligitur ex cap. *Si in adjutorium* 7, dist.

10, ibi: « Si in adjutorium vestrum etiam terreni imperii leges assumendas putatis, non reprehendimus. Fecit hoc Paulus, cum adversus injuriosos civem Romanum se esse protestatus est; » et concordat textus in cap. *De capitulis* 9, et cap. *Certum* 12, ead. dist. 10, juncto cap. 1, de novi operis nuntiatione, cum similibus, et patet experientia apud omnes canonistas et legistas. Hinc casus in jure civili dubius, sed in canonico clare decisis, procedit quoque in foro civili, et e contra, cap. 1 De novi operis nuntiatione, ibi: « Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjunguntur, » ubi Glossa verb. *Adjunguntur* notabiliter infert: « Et ita in causa ecclesiastica leges possumus allegare, ut, etiamsi canones deficiant, possit judicari secundum leges, » et Abbas *ibidem* n. 3, dicit expresse: « Causa Ecclesiæ debet decidi per jus civile in defectu canonum; omnes enim leges principum non contradicentes canonibus sunt approbatæ per Ecclesiam, ut patet hic; » et Fagnanus in cap. *Cum esses*, num. 18, De testam., sic inquit: « Ubicumque non reperitur aliqua dispositio juris civilis expresse immutata a jure canonico, non debemus inducere discrepantiam inter jus canonicum et jus civile. Imo lex civilis servari debet etiam in foro Ecclesiæ, » ut c. 1, et ibi Abbas num. 2, Joan. Andr. n. 6, De novi operis nuntiatione, et alii communiter.

(37. Quando inter jus canonicum et civile est aperta contrarietas et diversitas, eaque est de re profana, nec attingit conscientiam vel peccatum, ut circa solemnitates testamentorum, judiciorum, contractuum, aliorumque similium actuum, quodlibet jus est in suo foro servandum, scilicet in terris papæ subjectis jus canonicum, in terris imperii sæcularis jus civile; cap. *Quoniam*, dist. 10, et cap. *Cum ad verum* 6, dist. 96, et concordat cap. *Solite* 6, De majorit. et obedient., cap. *Novit* 13, § 1, De judiciis, et cap. *Per venerabilem* 13, § Rationibus, Qui filii sint legitimi.

(38. Quando autem inter jus canonicum et civile est aperta contrarietas in materia conscientiæ et peccati, v. g. in præscriptione cum mala fide, in usuris, et hujusmodi materiis peccatum foventibus, standum est juri canonico, relicto jure civili, etiam in terris imperii sæcularis; in spiritualibus enim, et ubi agitur de salute animæ, jurisdictio papæ, tanquam Christi vicarii et communis animarum pastoris, etiam in terras imperii sæcularis et totum mundum extenditur, ut tenet communis catholicorum per textum in cap. *Solite* 6, De majorit. et obed., vers. *Quod autem*, et in cap. *Novit* 13, De judiciis, Extravag. *Unam Sanctam*, De majorit. et obed. Et ratio est quia tunc leges civiles foventes peccatum censentur esse correctæ per canones; lex autem correctæ non dicitur amplius lex, ut recte docet Glossa in l. ult. ff. ad Legem Corneli. de falsis; Fagnan. in c. *Cum esses*, num. 167, De testamentis, et communis aliorum, arg. cap. *Licet Roma-*